

quædam virtus creata, imo dicitur esse instrumentum Dei; ergo intrinsece indiget immediato influxu intime imbibito in actione illius, qui non attingat prius natura effectum quam prævia ipsa motio per actionem suam. Relinquitur ergo eadem difficultas de illa præmotione, quæ est de virtute permanente causæ secundæ, quomodo scilicet pendeat a Deo in agendo, et nihilominus Deus prius non attingat effectum, quam ipsa virtus creata, vel motio.

7. *Secunda solutio rejicitur.* — Alii distinctione utuntur, nam concursus primæ causæ et secundæ dupliciter possunt comparari, primo, ut exeunt a causis suis, secundo, ut attingunt effectum. Et hoc posteriori modo dicunt procedere quæ diximus, quod concursus primæ causæ non prius attingit effectum quam concursus causæ secundæ. Sub priori autem respectu dicunt concursum causæ primæ esse priorem natura, quam concursum causæ secundæ, quia causa secunda pendet a prima in agendo; ergo concursus causæ secundæ pendet a concursu causæ primæ, et ab ipso participat omnem suam virtutem. Sed hæc distinctio non recte accommodatur ad concursum Dei simultaneum, de quo tractamus, licet posset habere locum respectu motionis præviæ: nam illa posita verissime dicitur prius natura exire a Deo et afficere causam secundam, quam actio causæ secundæ ab illa profluat, quamvis illamet præmotio Dei non prius natura attingat effectum causæ secundæ, quam ipsamet causa secunda, ut iidem auctores fatentur. Et quantum ad eandem præmotionem recte etiam dicitur concursum causæ secundæ pendere a concursu causæ primæ, nomine concursus illum prævium significando.

8. Hoc tamen non recte dicitur respectu concursus simultanei et concomitantis, quia in re non distinguitur a concursu causæ secundæ, et ideo non potest esse inter eos realis emanatio vel causalitas; ergo nec prioritas naturæ, sive ut exeunt a causis, sive ut attingunt terminum, quia etiam sub priori respectu non habent inter se realem causalitatem, eo vel maxime quod in ipso concursu non est prior unus respectus quam alius, id est, in actione non est prior natura exitus ab agente, quam attingentia ad terminum spectatum, ut est in fieri; nam, verbi gratia, illuminatio æque primo exit a luce, et tendit in lumen; ergo similiter concursus Dei in illuminatione imbibitus æque primo exit a Deo et attingit lumen; ergo etiam uterque concursus causæ primæ et se-

cundæ, sicut attingunt terminum sine ordine naturæ inter se, ita etiam exeunt ab utraque causa sine eodem ordine: sunt ergo simul natura.

9. *Tertia solutio Capreoli rejicitur.* — Aliter vero Capreolus in 2, d. 1, quæst. 2, ad argumenta Durandi contra sextam conclusionem, docet actionem primæ causæ prius natura attingere effectum, quam actionem causæ secundæ. Sed, ut notavi in lib. 1 de Auxiliis, cap. 4, non videtur id intelligere Capreolus de actione Dei ad extra, sed de ipsa Dei voluntate, quam ibi vocat actionem Dei internam, quæ est principium actionis externæ, et sic est natura prior: non tamen negat Capreolus quin actio causæ secundæ sit etiam actio externa seu transiens ipsiusmet Dei, et sic etiam ibidem fatetur unam et eandem actionem transeuntem esse immediate a causa secunda et prima, et ut est a prima, esse concursum simultaneum respectu concursus causæ secundæ. De hac ergo actione transeunte Dei dici non potest quod attingit effectum prius natura quam actio creaturæ, cum in re sint una et indivisibilis actio, et, ob eandem rationem, ut dixi, illa actio non prius natura emanat a Deo quam a causa secunda, prioritate scilicet causalitatis, licet sub aliis rationibus dicatur prima causa prius natura influere, quia ejus influxus, et est intimior seu essentialior, et magis necessarius, et de se magis etiam independens, ut recte notavit Cajetanus 1 p., q. 14, art. 13, § *Neque sustinendus*, et q. 19, art. 8, in fine.

10. *Vera solutio.* — Ad objectionem ergo factam, respondetur negando sequelam, quia ut causa secunda pendeat a prima in agendo, sufficit quod ab illa pendeat in omni re et forma, vel modo, aut conditione reali necessaria ut in esse actu agentis constituatur: pendet autem causa secunda a prima, non solum in esse et conservari, et in virtute agendi, sed etiam in sua actione: nam illamet actio essentialiter pendet immediate a Deo, ut dictum est; per illam autem actionem constituitur causa secunda in esse actu agentis; ergo hoc satis est ut causa secunda pendeat in esse agentis a prima. Quod si causa secunda consideretur prius natura quam agat, ut sic etiam dicitur pendere a Deo essentialiter in agendo, non solum quia per continuum influxum ejus habet virtutem agendi, sine quo illam non haberet, sed etiam quia prædita tali virtute nihil potest agere sine actuali juvamine et auxilio causæ primæ, quod præbet simul eum

illa efficiendo eandem actionem et effectum. E contrario vero dici non potest causa prima dependere a secunda in agendo, quia non postulat consortium causæ secundæ ex indigentia, nam per se est sufficiens ad operandum, si velit, licet ex benigna providentia, ut relinquat suas creaturas operari, talem concursum illis accommodet, quo sine illis non operetur.

11. *Concursus ille ex parte sua non est adæquata ratio productiva effectus quem tamen totum attingit.* — Quinto, infertur hunc concursum Dei sub hac præcisa ratione conceptum non concipi, ex parte ejusdem causæ, ut adæquatam rationem productivam sui effectus, seu termini, licet ex parte effectus totum illum attingat. Probatur prior pars, quia ratio adæquata illius effectus est quædam actio, quæ intrinsece respicit duplicem causam, primam, scilicet, et secundam; ergo illa inadæquate concepta, ut manat a solo Deo, non est completa, et adæquata ratio illius effectus; est ergo inadæquata et sub illa ratione dicitur non esse unica. Declaratur a simili, nam sapientia Dei, sub illa præcisa ratione concepta, recte dicitur non esse unica perfectio Dei, nam justitia intelligitur esse alia perfectio, et sic de cæteris attributis. Unde adæquata Dei perfectio, concepta ut tota perfectio Dei, omnia attributa Dei includit; ita ergo se habet actio illa, prout in re est adæquata, comparata ad concursum causæ primæ et influxum causæ secundæ, præcise conceptos. Ergo quilibet eorum solum concipitur ut actio incompleta ex parte sui principii; secus vero est ex parte termini, ut in altera parte dicebamus, quia quilibet illorum concursuum etiam inadæquate conceptus intelligitur terminari ad totum effectum, seu terminum, quia nihil est in termino quod non a Deo essentialiter pendeat, vel quod non a causa secunda tunc fiat. Nec fingi potest pars in effectu quæ magis attingatur per concursum causæ secundæ, quam alia, ut in sequentibus magis explicabimus.

12. *Objectio solvitur.* — Objicies, quia si Deus per illum concursum prius natura attingeret effectum, quam causa secunda, totum effectum produceret, ut paulo antea dicebamus, et sentit Cajetanus, 1 part., quæst. 19, art. 8, in fine. Ergo ille concursus, ut præcise concipitur a solo Deo, est totalis ratio illius effectus. Respondetur hypothesim illam destruere propriam rationem et conditionem talis concursus, et ideo licet data hypothesi bona sit illatio, nihil infertur contra positam illationem,

quia non fit illatio de concursu prout modo a Deo præstatur, sed de concursu qui fingitur ex illa hypothesi. Declaratur, quia licet Deus per se sit potens ad faciendum, se solo, effectum causæ secundæ, nunc vero, quando cum causis secundis concurrat, ita illis suum influxum et activitatem accommodat, ut concursus ejus, prout nunc præstatur, non sufficiat efficere effectum si causa secunda non coagat, quia Deus (ut sic dicam) in tali modo agendi non vult esse operator, sed cooperator, ut in Metaphysica dixi.

13. *Falso accusatus auctor.* — Ex quo intulit quidam modernus scriptor, insinuasse me in illo loco, quod si in aliquo priori naturæ causa prima concurreret, et non produceret totum effectum. Hoc autem neque in mentem meam venit, neque ex verbis meis potest cum probabilitate colligi. Sed potius immediate infertur fieri nullo modo posse, ut hic concursus Dei, prout de facto datur, prius natura attingat effectum, quam influxus causæ secundæ, quod est verissimum, et satis probatum in corollario; quod etiam idem auctor admittit; ideo paulo inferius fatetur ita esse de facto quod Deus, ut nunc concurrat cum causa secunda, non prius attingit effectum quam illa, ideoque nec sine illa producit effectum. At vero, posita hypothesi quod Deus vellet suo influxu prius natura attingere effectum, tunc quidem produceret totum effectum actione totali, tam ex parte principii quam ex parte termini, quia Deo non deest virtus, et per illam voluntatem applicaret totam virtutem necessariam. Tunc autem concursus Dei esset alterius rationis, imo non esset concursus, quia particula *con* dicit comitantiam alterius, sed esset absoluta effectio, et tunc creatura vel nihil ageret, vel incassum ageret, quod præsentis quæstioni est impertinens. Si autem talis fingatur hypothesi, ut, manente eodem concursu prout nunc datur, prius natura attingat effectum, dico hypothesim involvere repugnantiam, quia implicat concursum esse simultaneum per entitatem in eadem indivisibili actione, et prius natura attingere, ut probatum est. Et ideo, data illa positione, sequitur per talem concursum totum effectum fieri, quia aliquid fit, cum sit actio, quæ supponitur terminum suum attingere, utique producendo illum, et non partem, tum quia non est major ratio de una quam de alia, tum quia terminus illius concursus est totus effectus, ut dixi. E contrario vero etiam sequitur, posita illa hypothesi, nihil omnino fieri, quia deest conco-

mitantia alterius agentis omnino necessarii ad talem effectum, et ad omne illud quod in ipso fieri potest per talem concursum, et Deus non applicat suam virtutem ad supplendum illum defectum, ut supponitur, quia supponitur nolle amplius efficere quam cum causa secunda simul efficiat.

## CAPUT XXVII.

UTRUM CAUSA PRIMA ET SECUNDA, UT PARTIALES CAUSÆ, AD EUMDEM EFFECTUM CONCURRANT.

1. *Necessitas hujus questionis explicandæ.* — Hæc questio necessaria est ad auxilia supernaturalia explicanda, et ad tollendas verborum contentiones, et ad solvendam objectionem quæ ex illa contra dicta oritur; sequi enim videtur Deum concurrere cum causa secunda, ut partialem causam effectus causæ secundæ, et non ut totalem. Consequens est absurdum: ergo. Sequela patet, quia causa quæ non influit actione totali et integra, non potest dici totalis in actu, cum ab actione denominetur agens actu: diximus autem concursus Dei cum causa secunda non esse actionem totalem; recte ergo sequitur Deum, ut influentem per illum concursum, non esse causam totalem; erit ergo partialis. Falsitas autem consequentis ostenditur, tum quia hoc est contra mentem omnium Theologorum et philosophorum; tum etiam quia hæc esset maxima imperfectio in Deo, nam esse causam partialem dicit dependentiam ab alia causa partiali, quæ est magna imperfectio. Item, quia causa partialis est inferior in sua operatione quam causa totalis, quæ ex duplici partiali conflatur, sicut ex duobus trahentibus navim, et unam causam totalem componentibus, unusquisque per se est viribus inferior utroque simul. Hoc autem Deo attribueri magna est imperfectio.

2. *Opinio Molinæ esse causas partiales.* — *Male explicata.* — In hoc puncto Molina, in Concordia, disp. 26, in Antuerpiana editione, circa finem, concedit Deum et causam secundam, simul concurrentes ad eundem effectum, esse causas partiales ejus, et ex utraque conflari unam causam integram, utiturque illo exemplo de duobus trahentibus navim. Contra quam sententiam vehementer insurrexerunt plures moderni Scriptores de Auxiliis gratiæ; sed sine dubio disputant de vocibus prius quam de re, ut alibi dixi, et mox explicabo. Et præterea excedunt in modo im-

pugnationis. Primo, quia quidam eorum refert Molinam consequenter dicere quod: *Pars effectus respondet primæ causæ et pars illius respondet secundæ, et ita Deus non attingit totum effectum prius, sed tantum attingit partem effectus simul.* Quod certe si Molina diceret, non solum in modo loquendi, sed in re magni momenti errasset, non tantum contra communem Theologorum et philosophorum sententiam, ut ille dicit, sed etiam contra fidem. Nam inde fieret aliquam partem entis realis fieri in mundo, quam Deus non facit, siquidem dicitur solum attingere partem effectus simul. At vero Molina longissime ab illo errore abfuit, suamque sententiam explicuit, dicens: *At cum dicimus neque Deum, per concursum universalem, nec causam secundam esse integras, sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de partialitate causæ, ut vocant, non de partialitate effectus, totus quippe effectus et a Deo est, et a causis secundis.* Et statim adhibet exemplum de duobus trahentibus navim, et declarans in quo ponat similitudinem, addit: *Siquidem quivis eorum simul efficit cum altero omnes et singulas partes ejusdem motus.* Illo ergo modo non fideliter refertur sententia Molinæ.

3. *Male quoque damnatur.* — Hoc autem sano sensu supposito, immerito etiam dicitur ille modus loquendi esse contra omnes Theologos. Graves enim et non pauci Theologi illo modo locuti sunt. Gregorius enim, in 2, distinct. 38, q. 1, art. 3, ad 12, expresse dicit modum communem quo Deus concurrat ad quemlibet effectum agentis creati, esse juvando causam secundam, *partialiter cum illa efficiendo*, quæ verba habet idem Capreolus, q. 1, art. 3, ad 12, contra tertiam conclusionem. Gabriel etiam 2, dist. 1, q. 12, art. 1, notab. 2, late et inter alia dicit: *Deus, producens effectum cum causa secunda, est causa partialis, sicut est causa secunda*; et dist. 37, quæst. 1, ad argument. de 4 via: *Deus volendo causat omnia, non tamen ideo est causa totalis, quia vult secum concurrere alias causas.* Eodem modo loquitur Olchot, in 2, quæst. 1, art. 3, in principio; et Lychetus in 2, dist. 37, q. 2, § *Ad solutionem*, ubi ait Deum concurrere ad omnem actionem nostram ut causam partialem, quia vult causam secundam sibi cooperari. Et alios statim referam. Neque contra prædictum sensum, quod ad rem spectat, alicujus momenti est ratio illius auctoris; tunc enim solum est imperfectio in aliquo, quod sit causa partialis, quando indiget auxi-

lio alterius concausæ ex defectu virium propriarum, ut frequentius contingit in causis creatis, ut in visu, specie, et lumine, et in multis trahentibus navim quam neuter per se trahere potuisset. Nam, ut dixit optime D. Thomas, 4 contr. Gent., cap. 7, rat. 16, id provenit, quia virtus cujuslibet imperfecta est, et insufficientis ad istum effectum, ideoque ex diversis virtutibus congregatur una virtus omnium, quæ sufficit ad trahendum navim. Secus vero est quando causa libera, non ex indigentia, vel ex imperfectione virtutis, sed ex sua libertate, non vult totaliter applicare suam virtutem, nec modo sufficienti ut sola producat effectum, sed tantum cooperando cum alia, quæ simul totum effectum efficiat. Tunc enim esse causam partialem in dicto sensu, non supponit imperfectionem in tali causa, cum supponatur per se sola sufficiens; neque etiam ille modus agendi ponit in ea imperfectionem, quia agere vel non agere extra se non ponit perfectionem in ea, nec tollit perfectionem ab ipsa. Quapropter de hujusmodi causa falso dicitur pendere ab alia in agendo: nam potius alia concausa pendet ab ipsa, quia dependentia dicit necessitatem juveninis alterius ex propria impotentia. Unde dicitur proprie effectus tunc pendere, non ab altera tantum causa, quantumvis potente, sed indigere alterius influxu, quod verissimum est, supposito illo agendi modo; neque enim sequitur aggregatum illarum causarum esse potentius altera causa secundum se, sed solum prout voluntarie limitante suam influentiam, quod nullum est inconveniens. Nam in re hoc est ab omnibus dicendum, sive his verbis, sive aliis utantur.

4. *Quomodo causa prima conjungatur causæ secundæ.* — Isto ergo modo causa prima conjungitur causæ secundæ ut concausa, non ex defectu virium, sed quia benigne vult sese accommodare causæ secundæ, ut ejus efficientiam non tollat, neque præveniat. Sicut homo fortis vult interdum non solus portare lapidem, sed cum alio, quia vult juvare illum, et non totum opus in se suscipere, licet posset; in quo etiam multum distat homo a Deo, quia homo, licet facere possit opus sine ope alterius, non tamen tanta facilitate, aut velocitate, aut sine tanto labore, et ita semper juvatur aliquo modo in eo quod per se non potest. Deus autem, propter infinitatem virtutis, semper tam bene et tam facile, et sine ullo labore solus posset facere, quod per causam secundam operatur: solum ergo ex benigna

providentia se constituit cooperatorem et causam partialem, juxta illum loquendi modum, quem ita explicuit Gabriel 2, d. 1, quæst. 2, art. 3, dub. 5, ad 3. In actibus vitalibus est multorum opinio Deum non posse se solo efficere illos sine cooperatione causæ secundæ, quod inter Thomistas satis receptum est, et ita videtur Deus ibi partialiter illo modo concurrere, non ex sola voluntate, sed quia tales actus non potest solus efficere. Et nihilominus dicendum est, posita illa sententia, id non esse imperfectionem in Deo, quia id non provenit ex impotentia Dei, vel ex defectu virium, sed partim ex incapacitate talis effectus, quia non est aliter producibilis quam a principio intrinseco proximo, partim ex eminentia Dei, cujus puritati, et actualitati repugnat esse principium intrinsecum talium actuum. Quamvis, judicio meo, probabilius sit quidquid est efficientiæ in productione talium actuum, non pendere essentialiter a proxima potentia, sed posse a Deo solo fieri, licet non connaturali modo, neque informando potentiam, et ideo, ut ita fiat, sufficere ut decreverit Deus juvare potentias, ut illos vitali modo eliciant, fiantque aptæ ad recipiendos in se formales effectus eorum.

5. *Objecta contra modum loquendi Molinæ.* — *Ex Patribus.* — *Deinde ex ratione.* — *Diluuntur hæc omnia.* — Alius vero ejusdem doctrinæ defensor et Molinæ impugnator maxime invehitur contra illum modum loquendi applicatum ad opera gratiæ, de quibus ita etiam loquitur Molina; et imprimis objicit multa testimonia Patrum, dicentium totum quod est in operibus gratiæ esse tribuendum Deo, et non partem homini, partem Deo; deinde dicentium ipsammet cooperationem hominis esse effectum gratiæ Dei, ut sic verum sit illud Roman. 9: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; dicentium denique nihil habere hominem unde gloriatur, sed totum quod habet esse divinæ gratiæ beneficium. Objicit præterea rationes. Prima est, quod potentiæ animæ nullam habent virtutem innatam ad efficiendum actus supernaturales, etiam ut causæ partiales; ergo Deus non potest dici causa partialis propter cooperationem voluntatis. Secunda ratio est, quia alias dicendum esset etiam Patrem partialiter producere Spiritum Sanctum, et similiter Filium, et comparari possent cum duobus trahentibus navim, namque neuter producit Spiritum Sanctum, sed ambo simul. Tertia ratio sit, quia principale agens et instrumen-